

tialem variat speciem. Quod autem suscipit magis et minus, differt ab eo quod est minus, et quodammodo est ei contrarium, ut magis album et minus album. Si igitur forma substantialis ignis suscipit magis et minus, magis facta vel minus facta speciem variabit, nec erit eadem forma, sed alia. Hinc est quod dicit Philosophus in 8 Metaph., quod sicut in numeris variatur species per additionem et subtractionem, ita in substantiis. Oportet ergo alium modum invenire, quo veritas salvetur mixtionis, et elementa non totaliter corrumpantur, sed aliquid in mixto permaneant. Considerandum est igitur, quod qualitates activæ et passivæ elementorum sunt ad invicem contrariæ, et suscipiunt magis et minus. Ex contrariis autem qualitatibus suscipientibus magis et minus constitui potest media qualitas, quæ utriusque sapiat extremi naturam, sicut pallidum inter album et nigrum, et tepidum inter calidum et frigidum. Sic igitur, remissis excellentiis qualitatum elementarium, constituitur ex eis quaedam qualitas media, quæ est propria qualitas corporis mixti, differens tamen in diversis secundum diversam mixtionis proportionem: et hæc quidem qualitas est propria dispositio ad formam corporis mixti, sicut qualitas simplex ad formam corporis simplicis. Sicut igitur extrema inveniuntur in medio, quod participat utriusque naturam; sic qualitates simplicium corporum inveniuntur in propria qualitate corporis mixti. Qualitas autem corporis simplicis est quidem aliud a forma substantiali ipsius: agit tamen in virtute formæ substantialis: alioquin calor calefaceret tantum, non autem per ejus virtutem forma substantialis educeretur in actum; cum nihil agat extra suam speciem. Sic igitur virtutes formarum substantialium simplicium corporum salvantur in corporibus mixtis. Sunt igitur formæ elementorum in mixtis non acti, sed virtute: et hoc est quod dicit Philosophus in 1 de Gener. Non igitur manent elementa in mixto actu, ut corpus et album; nec corrumpuntur nec alterantur ambo nec alterum; salvatur enim virtus eorum.

## OPUSCULUM XX.

## DE PLURALITATE FORMARUM

(EOR. ROM. XLV.)

Est non magnus, verum aureolus, et ad verbum ediscendus libellus.  
(CRO. Acad. Lib. 4.)

De authenticâ hujus opusculi  
Critica disquisitio.

**SUMMARIUM.** — In hoc opusculo summi momenti explicatur quæstio. — Integer tractatus tres in partes dividitur, quarum prima et secundæ hucusque editæ fuerant, tertia desiderabatur. — Eam plaudens philosophiæ Aquinatis cultoribus feliciter invenit doctor Petrus Ant. Uccelli, et in lucem vindicavit, vulgavitque typis. an. 1874. — Quorundam criticorum judicium expenditur, et opus S. Thomæ opere certissimorum documentorum assertitur.

Inter opera Doctoris Angelici recenseri præstantissimum tractatum de pluralitate formarum, philosopho cuique compertum est, qui in peritandis Aquinatis voluminibus, et in questionibus metaphysicis agitantibus non sit omnino insolens et peregrinus. Omnes namque peripateticæ philosophiæ studio incensi hujusmodi S. Thomæ opus maximis celebrant, tolluntque ad caelum laudum præconis, et propter nobilitatem quæstionem, quam Auctor in eo explicandam ingreditur, et propter doctrinam abundantiam, argumentorum perspicuitatem ac copiam quibus nititur, et demum propter ingenii acumen ac subtilitatem, vim atque robur, quibus adversariorum contorta et aculeata sophismata convellit ac explodit.

De hoc mirabili tractatu præ ceteris memorat Cardinalis Toletus vir omni doctrinæ, eruditionis, et ingenii laude nobilis ac præstans. Asserens laudatus Auctor peripateticam elegantemque doctrinam de unitate formæ substantialis in quavis corporata substantia, et oppositam, falsamque refellens Scoti, scotistarumque opinionem inducentem formam corporeitatis in homine ab anima rationali distinctam, ait (Com. in lib. 1. Phys. Cap. VII. q. 15.): "Ratione autem probatur ex D. Thomæ in aureo illo Opusculo de pluralitate formarum."

Quæstio de unitate entis per se et simpliciter in rebus visibilibus, et ex materia et forma concretis abstracta projecto est, difficilisque admodum habet explicatus; propterea nobilium philosophorum veterum juxta et recentiorum ab ipsis philosophiæ incubulis ad nostra usque tempora, ingenia torst, mentesque non raro transversas egit.

Antiquissimi quippe naturales philosophi utpote pinguioris minervæ et grossiores, ut eos vocat Aquinas, nihilque præter materiam animo intelligentiaque percipientes, in natura corporali explicanda causas tantummodo materiales meminerunt. Quam ad rem, uti Philosophus testa-

tur (Metaph. 1.) velut ebrui philosophati sunt naturam perperam et perverse explicantes, et rerum visibilibus unitatem substantialem prorsus peremerunt.

Horum philosophandi rationem, et absurda dogmata sequenti Leucippus, Democritus, et Democriti matris, et indoctus imitator Epicurus, qui teste Tullio, ex Democriti fontibus suos hortos irrigavit, in eam sententiam levitatis ac futilitatis plenam concessere, ut docerent cuncta corpora coagmentari ex atomis incompositis, seu ex corpusculis individuis; adeo ut ex decreto horum physicorum nihil reale in natura existat, praeter materiam et motum; et sic vel atomos extensas et incompositas, quae duo sunt perspicue secum pugnantia; vel simplicia, et inextensa corporum elementa defensitare coacti sunt. Commentitia haec, simulque flagitiosa philosophandi ratio et scientiam omnem convellit ac labefacta, quae, ut Philosophus docet, (Post. Analyt.) maxime est per causas formales; et unitatem substantiae corporalis inexplicatam deserit, immo ipsi cladi, exitioque est.

Neque fortunatior in unitate substantiae naturae corporalis explicanda fuit Plato. Tametsi divinus hic philosophus fuerit primus, qui intellexerat in natura explicanda necessarias esse omnino causas formales; quo dogmate constituto, et scientia incolomis servatur, et philosophia a tituleto et turpi liberatur ac tegitur materialismo; tamen et ipse deceptus est in eo, quod causas formales, seu rerum formas extra materiam et in seipsis subsistentes tuinis est; illicro neque rerum visibilibus declaravit naturam, neque earundem unitatem in tuto collocavit, decernens corpora componi ex indivisibilibus superficiebus! Hanc sententiam late perspicuèque refellit Philosophus utpote naturae corporali explicandae ineptam, et rei corporalis unitati exitiosam; cum unitas in compositis ex eodem fonte permanet, ex quo esse proficiscitur, nimirum a forma.

Ad memoratos errores extirpandos, qui veterem commaculaverunt philosophiam, quique jaundandam derelicti a recentibus philosophis quoad ipsa pene verba revocati fuerunt, et cuncti ex cineribus excitati, Aristoteles vir singulari utriusque ingenio pollens et philosophorum merito princeps appellatus, docuit res omnes visibiles coagmentari ex duplici intrinseca causa, materia videlicet et forma, quarum prima potentialem multipliciter, ex secunda actualem unitatem; ideoque quae libet substantia corporalis est per se et simpliciter una actu; multiplex ens per se et simpliciter compositus, quod est substantialis materiam actus, eique unicum esse seu existentiam tribuens, cum esse consequatur formam. Ubi enim multiplex forma substantialis assertitur, multiplex quoque esse seu ens multiplex, vel melius entium aggregatum adstruitur; ubi autem una forma invenitur, unicum et converso est esse et unicum ens; quippe ab esse seu essendi actu quodlibet denominatur et est ens.

S. Thomas rationes et auctoritates suscipiens Philosophi non mediocrem in eadem doctrina praedicanda ac tuenda operam curamque consumpsit ratus Stagiritam profunde naturam scrutatum difficillimam abconditamque quaestionem plene ac perfecte solvisse.

Quotus quisque est, qui in Aquinatis operibus legendis versatus neciat ipsum hujus admirabilis doctrinae jugiter meminisse? Neque solum eam captam et obiter attingit, sed saepissime uberius profundiusque explanat, evolvit, et multiplice varietate modo iterum iterumque versat, ab adversariorum calumnias fortiter ac fontem totius naturalis philosophiae, a quo tantopere abhorret non solum corpuscularis philosophiae propu-

gatores, sed vel maxime qui Scoti placita in philosophando sectantur; videlicet esse actu consequi formam, ideoque quidquid alicui rei supervenit post primum esse, vel post formam substantialem accidentaliter ipsi advenire. Quo ex dogmate utrimque exploditur et opinio eorum qui materiae primae proprium esse seu actum quem *emittativum* appellant independentem a forma attribuant, et iterum eorum communitatis sententia, qui plures partialesque formas et existentias in una eademque tutantur substantia.

Eodem innixus principio contra Avicennam, Averroem, compluresque alios philosophos doctrinam Aristotelis mire explanavit Aquinas propugnans in corporibus mixtis, mixtionem peracta, et generata forma mixti corporis, elementorum formas non remanens actu, sed virtute dumtaxat; cum in una substantia actu esse nequeat, nisi una forma substantialis, si unitas substantiae sarta lacteate debeat remanere. Verum enim vero haec praecleara atque elegans S. Thomae doctrina, quam ab Aristotele mutuatam non parum perfecit, declaravit, cum christiano dogmate singulari sapientia composuit, plurimos acerrimosque et postmodum, et vel ipso S. Doctoris tempore praesertim in Universitate Parisiensi et Oxoniensi nacta est adversarios. Gulielmus Lamorenensis, et Joannes Pekanus, de quibus alio in loco meminimus, certamen haec in re cum ipso sibi instituerunt, et ejus sententiam rationi iuxta ac christiano dogmati adversantem, inimicamque eliminati sunt; propterea quod ad unitatem formae substantialis tuendam propugnaverat Aquinas, animam intellectivam humano corpori tribuere, ut sit *sentiens, vivum, corpus, substantia, et ens.*

Nobilissimam hanc doctrinam, quae sola unitatem substantialem in homine salvat ac legit, acriter insuetati sunt laudati auctores docentes in homine praeter intellectivum principium admittendam esse formam animalem et sensitivam, quas ab ipso re discerniari decreverunt. At frustra fuere, turpiterque eos propria falsos habuit opinio, qua Guntheriorum dogmati praeluserunt, et in errorem sententiamque concesserunt, quam Pius Nonus P. M. nostris temporibus proscripsit ac damnavit.

Qua de re summis laudibus jure merito afferendus est Aquinas noster, qui insignem "de pluralitate formarum," exaravit ac conscripsit tractatum. In eo peripatetica doctrina de unitate substantialis formae uberius abundantiusque explanatur, firmissimis communiatur ac defenditur rationum conclusionibus, praeteritorum hujus doctrinae adversariorum contra sophistam ordine recensentur, et invictae ac subiliter exploduntur, et domum arma parantur quibus in postorum nullo negotio proficiantur et errores eorum, qui sive Avicennam, sive Lamorensem, sive Scotam, sive recentiores quosdam ut magistros amplexati praeter animam rationalem alias formas partiales in homine comminiscuntur.

Hujus Opusculi tanta est singularis laus ac praestantia, tanta rerum copia, et abundantia doctrinae, ut P. Raphael Ripa (Com. de ente et essentia ad Cap. vii, q. 1, A. 3) merito affirmare potuerit, ex eo omnia deprompta fuisse argumenta, quibus posteriores Aquinatis sapientiae cultores et assellae usi sunt ad tuendam in composito substantialem unitatem formae, et ad confutandos disjunctiososque oppositos errores. "Haec sententia, pergit praedictus auctor, non aliis rationibus est probanda, quam quibusdam ex his, quas adduxit Auctor allegato Opusculo de formarum pluralitate; sunt enim energiae maximae, et nunquam satis solutae."

At praeclearum hoc aureum Opusculum, quod tantopere celebrant peripateticae philosophiae studiosi incompletum ac veluti mutilum ad nostra usque tempora pervenerat, quemadmodum ex variis editionibus,

quae Opusculorum S. Thomae extant, colligere ac perspicere quisque potest. Etenim Auctor in initio propositam questionem tres in partem tribuit inquires: "Omnino propositum tribus viis ad praesens. Prima sumitur ex distinctione formarum ad se invicem. Secunda ex ratione emittatis. Tertia ex ratione unitatis." Primi et secundi generis argumenta scite et accurate proponuntur et explicantur; at ea quae tertio loco debuissent afferri et enodari alto premuntur silentio. Mirabile prodest est, Romanos Editores an. 1570 hoc non pervidisse, cum in praefato Editionis, in qua ad finem Opusculi hanc animadversio adiungitur: "Opusculum istud patet esse imperfectum, ex eo quod Auctor parum a principio sic ait: Ostenditur autem propositum tribus viis etc. In descursu autem tractationis duae tantum priores evolvuntur, facta de tertia silentio."

At tertia haec pars, quae in tenebris conspulta delituit, et tamdiu a peripateticis philosophis auctoribus desiderata fuerat et expetita, tandem nostris diebus a Cla. Doctore Petro Ant. Uccelli in lucem fuit feliciter vindicata. Hic Auctor, quem honoris laudisque causa placet nominare, Thomae Aquinatis maxime studuit et nullis pepercit curis ac laboribus in sortandis ac pervolutandis vetustissimis codicibus, ut opera si qua exarent, reperiret, quae a S. Doctore exarata adhuc post tot saecula tecta ac clausa mansissent in pluteis. Neque egregii viri sollicita ac labor inutilis fuit ac frustra; nam, ut de aliis cunctis, in Bibliotheca Vaticana duos offendit Codices MSS., nimirum Vaticanum signatum numero 784, et Vaticano-Ottobonianum numero notatum 184, in quibus integrum perfectumque reperiebatur Opusculum de pluralitate formarum!

Tertia illa Opusculi pars, quae in superioribus Editionibus deorbat ab ejus inventore typis vulgata fuit anno 1576; et sic integer tractatus vulgus lusumque primo prodidit, et non mediocre accessit ex supradictis Codicibus argumentum ad ostendendum totum Opusculum esse genuinum S. Thomae opus, adversus nonnullos qui hujuscemodi tractatus authenticam tueri detrectabant.

Et re sane vora in Codice MSS. Ottoboniano sic inscribitur: *Thomas de gradibus formarum*: in Codice autem Vaticano hunc praee praesertim titulum: *Incipit tractatus contra pluralitates formarum*. Qui profecto titulus accuratius doctrinam questionemque indicat, quam Auctor in Opusculo explicare ac propagare ingreditur. Nullum in Vat. Codice habet nomen Auctoris. Verum advertens est cum erudito Uccelli, reliqua omnia quae in eodem continentur Codice, et esse sine ulla dubitatione genuina Aquinatis opera, et ea haudquaquam nomine S. Thomae ornari, si unus excipiat tractatus in quo nomen Fr. Thomae apponitur. Opera quippe, quae in Vaticano extant Codice ejusmodi sunt. — *Tractatus contra impugnantem religionem — Expositio Librorum de divinis nominibus B. Dionysii — Sententia super Libros per-hereticum secundum fratrem Thomam — Tractatus contra pluralitates formarum — In quo veritate consistat — Brevis compilatio theologica.*

Hi duo Codices MSS., quos Doctor Uccelli accurate sciteque describit vetustissimi sunt, et ad finem saeculi decimi tertii, vel ad initium saeculi decimi quarti non immerito referri posse videntur. Quandoquidem in ipsis nunquam Doctor Angelicus Sancti vel Beati titulo insignitur, jus laesque sic concludere, ipsos eo tempore fuisse exaratos, quod inter ejus inferitum intercessit, et usque ad caelitum honores ejectionem. In posterioribus namque codicibus mos ipsum Sanctum vel Beatum appellandi ita religiose servatus est, ut non desint exemplaria, in quibus titulus Fratris Thomae invenitur deletus, et in Sancti Thomae titulum *CONVERTSUS*.

Probabilissimae conjecturae, quae ex gemino Codice paulo ante memorato fluit pro Authentica Opusculi de pluralitate formarum, accedit evidens, certissimumque argumentum, quod haec quaestio evidentiter admodum dirimit; testimonium videlicet veterum, probatissimorumque Auctorum, qui hujus tractatus discrete meminerunt et inter cetera S. Thomae opera commemorant.

1<sup>o</sup> Joannes de Columna aetate S. Thomae suppar ejusque operum nomenclator eruditus ac diligens Aquinatis scripta dinumerans sub numero 41 laudatum opus commemorat inquires: *Fecit tractatum de Unitate formarum.*

2<sup>o</sup> Henricus de Hervordia nobilissimus testis, qui se novisse S. Doctorem affirmat, in libro de rebus memorabilibus, alio nomine *Chronicon* dicto, scribens de Operibus summi Aquinatis sub numero 19 commemorat tractatum "*de Unitate formae.*"

3<sup>o</sup> His duobus Auctoribus S. Thomae coetaneis praestat et aliud non levis momenti testimonium subjicere quod in Chronica Frat. Ord. Praed. a P. Ambrosio Taegio sub finem saeculi decimi quinti conscripta reperitur. Laudatus quippe Auctor inter Aquinatis Opera sub numero 68 opusculum hoc reponit, inquires: *Scriptus de pluralitate formarum.*

Quamobrem utroque pollice assentitur doctissimo Jo. Ambrosio Barabara, qui Opusculi de pluralitate formarum purissimum, singulareque admiratus doctrinam illud a D. Thoma subtrahi circa injuriam non posse professus est.

Ex adverso a veritate procul abest Bernardus M. De Rubéis qui in suis criticis dissertationibus in S. Thomae Aq. (dissert. 24) supra laudatum opusculum cum aliis tribus Aquinati adjudicare non audeat, propterea quod neminem veterum nominasse eorum persnasum certumque habet, inquit enim: "Antiqui codices desiderantur, in quibus cum nomine S. Thomae Aquinatis prostant. Vult dubia minus characteribus exendi eadem jasserunt Romani Editores."

Bernardo de Rubéis in hac amplectenda sententia praeverat eruditus Echarius ejus consocius, qui (Scrip. Ord. PP. Praed. tom. 1, pag. 389) ita decernit: "*De pluralitate formarum* Principium: *Quoniam sanctum est.* Ut dubia (cum aliis ibi notatis) minore charactero onsa; revera non nec non S. Antonius. Pignon solus laudat *de unitate formae.*"

Nimirum viri eruditissimi et criticae artis non medioeriter consulti Codices nostris diebus repertos ignorare, quod minime mirum est; sed quod est mirandum et vix credibile, etiam probatissimi et vetustissimi nomenclatores Operum Aquinatis a nobis citati eos fugerunt; idcirco inter dubias S. Thomae lucubrations opusculum "*de pluralitate formarum*" adnumerari debere rati sunt. A qua sententia certo certius abhorruissent, si et Codices Vaticanos compersisset et probatissimos veterum Nomenclatorum catalogos dignovissent.

Quae cum ita habeant perspicuum enique ratumque est, tractatum de pluralitate formarum, qui aliis nominibus congruentis inscribitur: vel *de Unitate formarum*, vel *de gradibus formarum*, vel *contra pluralitates formarum*, vel *de gradibus formarum* ad Aquinatem nostrum pertinere, sive Codices spectentur in Vaticana Bibliotheca nuperime reperti, sive veterum catalogorum testimonia consulantur, sive demum doctrinae in eodem explicatae, quae ne transversum quidem unguem a peripateticis placitis discedit, ratio habeatur.